

hoc erit, consequenter ab episcopo dispensari poterit; quia « ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, » c. *Ex parte. 27. de Decim.* Antecedens patet; quamvis enim, ut bene advertit Layman, loc. cit. votum pœnale principaliter non fiat amore virtutis promissæ, utpote a quo vovens aversionem habet, si tamen ordinarie principaliter amore alterius virtutis, et odio vitii certi; sicque jam principaliter intentione placendi Deo; eumque non offendendi, uti patet in eo, qui vovet perpetuam castitatem, si adhuc semel fornicatus fuerit. Cum e contra vota sub alia conditione ordinarie nec amore virtutis promissæ, nec alterius virtutis fiant, sed amore consequendi aliquid temporale, vel naturale bonum, v. g. sanitatem, officium aliquod, etc. vel declinandi temporale malum, persecutionem v. g. vel aliam crucem, sicque valde imperfecte; ergo.

34. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod vota conditionata post adimpletam conditionem transeant in absoluta. Nam contra est; tum quod etiam vota pœnalia impleta conditione transeant in absoluta, et tamen juxta adversarios non sint reservata; tum quia quantumvis fiant absoluta, tamen semper adhuc manent imperfecta ex prima radice, utpote non amore virtutis, nec intentione placendi Deo, sed amore boni temporalis aut naturalis principaliter emissa.

35. *Non est reservatum votum castitatis ad certum tempus, neque votum non nubendi, non fornicandi, etc.* — Infertur V. Non esse reservatum votum castitatis temporalis, v. g. ad decem annos, nec votum non nubendi, nec votum non petendi debitum conjugale, nec votum non fornicandi, vel mulierem non tangendi. Ratio est, quia per votum castitatis reservatum intelligitur sola castitas perfecta, et perpetua, arg. c. *Odia. de Reg. jur.* in 6. et tenent doctores communiter; simulque inferunt, etiam servandi virginitatem *die Jungfrauschafft* non esse reservatum, utpote quod semel violatum, amplius servari nequit, et castitas violari possit, v. g. morosa complacentia, absque hoc quod violetur virginalis integritas, nempe corporalis. Notandum tamen, quod multi simplices inter virginitatem et castitatem non distinguant; hinc ante dispensationem mens eorum ac intentio erit exploranda.

35. *Circumstantia voti reservati non sunt reservata.* — Infertur VI. Non esse reserva-

tas qualitates et circumstantias votorum alias reservatorum: ut si quis voveat pederter peregrinandi Romam: vel voveat strictiorem religionem, potest episcopus dispensare, ut ille curru vehatur, et iste religionem mitiorem intret. Herinx, disp. 9. *de Vota*, q. 6; Sporer, loc. cit. n. 67. et communis aliorum. Ratio est, quia sola substantia voti censetur reservata, arg. cit. c. *Odia. de Reg. jur.* in 6.

37. *In votis vere reservatis potest dispensare episcopus, si urgente causa gravi, vel necessitate non est aditus ad Papam.* — Resp. VI. Potest episcopus dispensare in votis vere reservatis, v. g. perpetuæ castitatis, quando adest impedimentum adeundi summum Pontificem, vel non est facilis aditus ad eum ob paupertatem, vel aliam causam, et gravis urget necessitas maturandi dispensationem. Sanchez, lib. VIII. *Moral.* disp. 9, n. 22; Roderiquez, tom. I. *Quæst. regul.* q. 63, a. 6; Sylvester, *ÿ. Votum.* 4, q. 4; Navarrus, in *Manual.* cap. XII, n. 76; Layman, lib. IV, tract. IV, cap. VIII, n. 16; Sporer, tract. III, in *secundum Præceptum Decalog.* cap. III, n. 71, et communissima aliorum. Ratio desumitur ex epikeia, seu rationabiliter præsumpta mente Pontificis; nam jure optimo præsumi potest, eum nolle in tali casu votum esse reservatum, sed esse contentum, si urgente gravi necessitate recurratur ad loci ordinarium, ne alias animæ laqueis irretita in tanto versentur periculo.

38. *Enumerantur similes graves cause.* — Hujusmodi autem cause graves urgentes possunt esse variæ. Et quidem I. Si in perpetuo voto castitatis est periculum incontinentiæ, ob quod in dicto voto cæteroquin reservato dispensare potest episcopus, si ex mora adeundi, dictum periculum revera subsistit, prout notant citati doctores, præsertim Sanchez, loc. cit. n. 22. quia in tali casu vere dici potest, quod ad propositum facilis non sit aditus ad Papam. II. Quando urget periculum scandali, aut alterius gravis mali. III. Quando contrahendum matrimonium differri nequit sine gravi sponsi, vel sponsæ, vel eorum familiæ dedecore: si puella deflorata, prolesque nascenda infamanda sit: maxime si sponsus, aut alius delinquens sit morti jam proximus, et nisi gravidam ducat, nascendæ sint proles illegitimæ, vel oriantur graves discordiæ inter cognatos. Doctores citati, præcipue Sanchez, lib. II, *de Matrim.* disp. 40. Circa dispensa-

tionem tamen in voto castitatis, quatenus est impedimentum matrimonium impediens, intellige, si votum est occultum, uti ipse fatetur Sanchez, et magis dicemus lib. IV. *de Sponsal. et Matrim.* arg. *Concil. Trident.* sess. 24, cap. vi. *de Reform.*

39. *Regulares mendicantes dispensare possunt in omnibus votis in quibus jure ordinario possunt episcopi.* — Resp. VII. Omnes confessarii ordinum mendicantium possunt dispensare in iis votis, in quibus jure ordinario dispensare possunt episcopi, consequenter in omnibus et singulis, exceptis quinque reservatis summo Pontifici n. 28. enarratis: imo etiam in his, casu quo ex aliqua causa non sunt reservata, juxta dicta a n. 28; Herinx, loc. cit. n. 65; Sannig, h. t. cap. XLV, n. 8; Sporer, in *secundum Præceptum Decalog.* cap. III, sect. 3, n. 54; Sanchez, lib. IV, *Moral.* cap. XLIII, n. 2, et communis aliorum tam theologorum quam canonistarum. Patetque clare ex pluribus privilegiis summorum Pontificum, ut Innocentii VIII, Eugenii IV, Martini V, Pauli III, Gregorii XIII, ut videre est Compendiis privilegiorum, dominicanorum, minorum, carmelitarum, et Societat. Jesu. Amplia, etsi quorundam votorum reservationem specialiter sibi reservavit loci ordinarius, uti expresse sonant privilegia; licet enim non possint Regulares absolvere a casibus episcopo reservatis juxta novissimum decretum Alexandri VII. contrariam sententiam damnantis, possunt tamen dispensare in votis eidem reservatis; cum longe aliud sit dispensare in votis, quam absolvere a peccatis. Layman, lib. IV, tract. IV, cap. VIII, n. 17.

40. *Etiam in reservatis summo Pontifici urgente necessitate.* — Limitant tamen doctores aliqui conclusionem in illo casu, quo episcopus in voto alias revera reservato dispensat urgente gravi necessitate, juxta dicta n. 39. quia, aiunt, confessarii mendicantium vi privilegiorum tantum dispensare possunt in iis votis, in quibus episcopi possunt jure ordinario, non item in iis, in quibus episcopus dispensare potest solo jure extraordinario, vel delegato; uti est in proposito. Verum alii, ut Herinx, loc. cit. n. 69; Crousers, in c. 7. *Regul. sancti Francisc.* lect. 29. Bassæus et alii apud citatum Herinx rejiciunt hanc limitationem, quorum opinio omnino probabilis pro foro interno videtur, uti sequenti argumento patet. Juxta communem etiam adversariorum possunt

confessarii mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario dispensare potest episcopus; atqui hic potest urgente necessitate dispensare in votis alias reservatis; ergo. Majorem concedunt adversarii, patetque clare ex privilegiis. Minor probatur; quia episcopus urgente necessitate vel dispensat ratione officii, vel ideo, quod tali casu votum non censeatur reservatum, juxta dicta n. 35, vel vi universalis consuetudinis, per quam constat, episcopus urgente necessitate posse dispensare: quocumque tandem modo dispenset, jure ordinario dispensat: et quidem si primo et secundo modo, non est dubium: si tertio modo, vi consuetudinis nempe, inde patet; quia consuetudo dat jurisdictionem ordinariam, prout pluribus demonstrat Sanchez, lib. VIII. *de Matrim.* disp. 12. et diximus in lib. I. *Decret.* tit. XXIX, *de Offic. et potest. judicis delegat.* n. 11. arg. l. *More majorum* et l. *Et quia.* ff. *de Jurisdic. omnium.*

41. Confirmatur: Jurisdictio et potestas, qua episcopi urgente necessitate in votis dispensant, non est delegata, ergo ordinaria. Probatur ant.: Jurisdictio delegata est, quæ nec ex lege, nec ratione officii, nec ex consuetudine, sed ex speciali commissione alterius competit; uti cum communi dictum est cit. lib. I. *Decret.* tit. XXIX. *de Offic. et potest. judic. delegat.* n. 11. atqui nullibi in toto jure hæc specialis commissio episcopis tanquam delegatis facta ostendi potest; ergo, cum nihilominus dispensent, jurisdictione seu jure ordinario dispensare censendi sunt. Hinc etiam minus recte hæc episcoporum potestas: vel jurisdictio dicitur extraordinaria, ex eo, quod sit circa casus non ordinaria, sed extraordinarie contingentes; cum etiam circa hos detur revera potestas ordinaria: sicut in proposito, ubi in præfatis casibus extraordinariis episcopus habet dispensandi potestatem ordinariam ratione officii, vel consuetudinis, vel quia non sunt reservati. Et per hæc patet responsum ad fundamentum adversariorum.

42. *Doctrina practica.* — Infertur, quod regulares dispensare possint, non tantum in omnibus casibus, in quibus vota cæteroquin reservata talia non sunt, vel cessant esse talia, juxta dicta n. 29. sed etiam in votis vere reservatis, v. g. in voto perpetuæ castitatis, quando ex mora adeundi pontificem prudenter timetur periculum incontinentiæ, gravis scandali, aut alterius gravis

mali : item si urget necessitas maturandi matrimonium juxta dicta n. 38. Quod ultimum tamen de dispensatione, urgente necessitate intellige pro foro interno; quia pro foro externo neququam practicanda a regularibus est hæc doctrina, præsertim cum juxta communem nec episcopus in voto castitatis ad contrahendum matrimonium dispensare valeat pro foro externo, sive votum tanquam impedimentum est publicum, uti magis dicitur infra lib. IV.

43. *Commutatio voti, quid?* — Quæritur V. Quid sit commutatio voti, et a quo fieri possit? Resp. I. « Commutatio voti est translatio obligationis a materia voti prius facti in aliam materiam priori subrogandam. » Ita in re communis ac certa, arg. c. i. 4. et aliis, h. t. patetque ex terminis : sic fit commutatio, si confessarius mutat penitentis votum peregrinandi, in votum jejunandi. Potest autem fieri talis commutatio vel in opus melius, vel æquale, vel minus bonum, ut statim patebit.

44. *In opus melius fieri potest etiam ab ipso vovente.* — Resp. II. Commutatio voti in opus evidenter melius a quovis etiam ipso vovente, et quidem propria auctoritate absque ulla causa fieri potest. Sanchez, lib. IV. *Moral.* cap. XLIX; Navarrus, cap. XII, n. 75; Layman, loc. cit. n. 49; Covarruvias, *de Pact.* p. 1, § 3. n. 4; Sporer, loc. cit. sect. 4, n. 1, cum communi, et hodie receptissima aliorum contra divum Thomam, 4. dist. 38, q. 1, a. 4; Joan. Andream, in c. *Pervenit. de Jurejur.* et ibi Abbatem, et alios volentes requiri superioris auctoritatem. Probatur autem conclusio nostra ex c. *Scriptura.* 4. h. t. ibi: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur observantiam commutare. » Ratio datur c. III. *de Jurejur.* illis verbis: « Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud mutat, » ubi, ut vides, nulla requiritur auctoritas superioris, aut justa alia causa. Limita conclusionem in quinque votis reservatis Papæ, utpote quæ sine auctoritate Pontificis etiam in melius commutari nequeunt per dicta superius, nisi in professionem religiosam arg. cit. c. IV. h. t.

45. *Non item in æquale, vel minus bonum.* — Resp. III. Commutatio voti in opus æquale, vel minus bonum, arbitrio voventis fieri nequit, sed fieri debet auctoritate Papæ, episcopi, vel alterius jurisdictionem habentis.

Sanchez, loc. cit. n. 49. et communior aliorum, arg. c. I. h. t. ulteriorem probationem vide in *Theologia nostra morali*, loc. cit. n. 34. et apud theologos passim.

46. *Quicumque potest dispensare, potest etiam commutare vota.* — Resp. IV. Quicumque habet potestatem dispensandi in votis, habet etiam potestatem eadem commutandi; non tamen e contra. Communis ac certa. Ratio patet; nam « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, » c. *Cui.* 53. *de Reg. jur.* in 6. atqui plus est dispensatio in voto, quam commutatio; cum per illam obligatio penitus tollatur, per istam vero tantum in aliam transferatur; ergo. Inferitur proin, quod Papa in omnibus, episcopus vero, et regulares mendicantes in cunctis (exceptis quinque reservatis, nisi urgeat necessitas, juxta dicta n. 38.) votis commutationem facere possint, nisi in favorem tertii facta sint, juxta dicenda infra n. 51.

47. *Ad commutandum votum quæ requiratur, et sufficiat causa?* — Reliqua de commutatione voti vide apud theologos citatos, et citandos infra. Solummodo breviter hic notandum, quod licet commutatio voti fiat in opus æquale, vel minus, adesse etiam debeat aliqua causa, saltem ut licite fiat, arg. c. I. h. t. et ibi doctores, tamen tanta non requiratur causa, quanta ad dispensationem, sed sufficiat minor. Et quidem ad commutandum votum in opus æquale, vel quasi æquale, vel notabiliter minus, sufficit quævis causa rationabilis, etiam sola v. g. major voventis propensio, seu devotio in aliud opus : item utilitas, et consolatio ipsius voventis; ut proin raro desit causa sufficiens ad commutandum votum in æquale, vel quasi æquale, juxta communem doctorum apud Sporer, loc. cit. n. 118; Lessium, lib. II, cap. XL. n. 109; Dianam, p. 1. tract. 11. *Resolut.* 40; Tamburinum, et alios. Ad commutandum vero idem in opus notabiliter minus, major requiritur causa : qualis est gravis difficultas in exequendo : voventis fragilitas aut periculum labendi : anxietas et scrupulositas ex voto proveniens, et universaliter omnes illæ causæ, quas supra ad dispensandum sufficere diximus, etsi in eodem genere tam magnæ et graves non sint, ac requirantur ad dispensationem superior loc. cit. et alii. Ratio est; quia dispensatio voti est totalis, commutatio vero tantum partialis extinctio obligationis, consequenter hæc minorem, quam illa causam exigit.

48. *Quid observandum in commutatione voti?* — Notandum II. In emergenti casu votorum, non debere dispensari, quandiu commutationem voti sufficere videtur, ad amovendam causam, ob quam ratione voti, auxilium et consolationem quærit vovens, arg. c. I. h. t. Dein quando fit commutatio, debent, quantum possibile est, fieri in opus aliud æquale, vel quasi æquale, id est, non notabiliter minus, nisi circumstantiæ, et causæ graves aliud exigant; ubi tria præcipue attendere debet commutans, videlicet, « quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem; » et « quid expediat secundum utilitatem, » ut ait Pontifex c. *Magna* 7. h. t. Ulterius attendere debet, ut nisi circumstantiæ et causæ exigant, votum reale commutet in aliud reale, personale in personale, mixtum in mixtum, etc. vide doctores citatos.

49. *Vota in favorem tertii emissa, et acceptata possunt irritari, ut alia.* — Quæritur VI. An etiam, et a quo fieri possit irritatio, dispensatio, et commutatio votorum in favorem tertii, v. g. ecclesiæ, monasterii, pauperis emissorum? Resp. I. Antequam acceptentur hæc vota ab illis, in quorum favorem emittuntur, idem est discurrendum de illis, ac aliis. Communis ac recepta sententia. Ratio est, quia ante acceptationem nulli acquiritur jus, hoc autem absente non est disparitas inter hæc et alia vota.

50. Resp. II. Vota in favorem tertii emissa etiam acceptata, eodem modo et ab iis irritari possunt, quo modo, et a quibus alia irritantur. Layman, lib. IV, tract. IV, cap. VIII, n. 21; Miranda, t. I, q. 48, a. 4; Sylvester, *ŷ. Votum.* 4. q. 7; Navarrus, cap. XII, n. 78, et communis aliorum. Ratio est, quia vota emissa ab iis, qui sub aliorum potestate existunt, semper habent tacite imbitam illam conditionem : « Nisi is, sub cujus potestate existo v. g. pater, tutor, maritus, etc. prælatus contradicat, » juxta dicta supra n. 8. qua contradictione tanquam conditione eveniente, per se utique evanescit, vel saltem irritari potest votum.

51. *Dispensari autem, vel commutari non valent sine consensu tertii.* — Resp. III. Vota in favorem tertii emissa et acceptata, ordinarie nec dispensari, nec commutari possunt absque consensu illius, vel illorum, in quorum favorem facta sunt. Sanchez, lib. IV. *Moral.* disp. 41. n. 13 et 18; Sporer, loc. cit., n. 102, cum communi. Ratio patet,

quia promissio acceptata cadit in debitum, paritque promissario jus, per vulgaria : quo jure invitus spoliari nequit.

52. *Limitatur hoc in duobus casibus.* — Dixi, *ordinarie*, quia limitatur conclusio I. In casu, quo bonum commune aliud exigit; quia tunc integrum est Pontifici privatum jure suo privare, cum bonum privatum semper cedere debeat bono communi. Sanchez, et Layman, loc. cit. II. Si fit quidem in favorem tertii, sed non propter favorem illius, sed principaliter ob honorem, et cultum Dei, v. g. vovet quis ita : « Domine Deus, promitto, vel voveo, quod ad tuum honorem velim hunc pauperem sustentare; illam Ecclesiam ornare, » etc.; Sanchez, loc. cit. n. 6; Sporer, loc. cit. n. 113; Fagundez, tom. I. in *Decalog.* lib. II, cap. XXIX; Sylvester, loc. cit. et satis communis aliorum. Ratio est, quia cum hæc vota principaliter fiant ob honorem Dei, solus Deus creditor est; Ecclesia vero vel pauper tantum materia, circa quam cultus Dei exhibendus, consequenter ad dispensandum vel commutandum solus sufficit Dei, et prælatorum ejus vices gerentium consensus, uti in aliis votis. Accedit, quod in tali voto honor et cultus Dei sit finis principalis, utilitas tertii vero solum secundarius, si nempe major Dei cultus ex dispensatione vel commutatione voti consurgit; ergo hic propter illum cedere debet, ut accessorius, prout fit, si fiat commutatio, ut magis egens sustentetur, vel Ecclesia magis indigens ornetur. Aliud foret, si votum seu promissio fieret simul tertio et Deo, uti bene advertit Sanchez, loc. cit. n. 18. Reliqua de votis vide apud theologos jam citatos, præsertim Sanchez, toto lib. IV. *Moral.* per totum in 56, disputationibus consistente, ubi nihil intactum relinquit, Sporer, tract. III, in *Secundum præceptum Decalog.* cap. II. per totum, ubi more suo pulcherrima pro praxi affert; Layman, lib. IV, tract. IV; summistas *ŷ. Votum.* et alios doctores passim, cum vix sit, qui votorum materiam non bene examinet. Vide etiam, quæ diximus in *Theologia nostra morali* tract. VI, dist. 3. *de Voto.* (ADNOTATIONES XV et XVI.)

TITULUS XXXV.

De statu monachorum, et canonicorum regularium.

1. *De materia hujus tituli multum non dicitur.* — Quando quidem in hoc titulo plure